

dum Hepistomio Minstructum est: Et hæc est *Hydria* Moro dicta exterior, supernè ad A B penitus aperta. Quam interiorē vocat altera a b c d supra infràque clausa, nisi quod superior fundus quatuor foraminibus satis amplis pertusus sit, amplitudinem a b vel c d habet 3. digitorum, altitudinem a c 4. dig. cum lineis quinque; foraminumque superiorum diameter 7. emetitur lineas: ex imi fundi medio denique, non perforato tamen, deorsum prominet collemella sive stilius g h, à canaliculo G H in fundo hydriæ exterioris, si opus sit, recipiendus. Etenim in certis casibus interior hydria ex filo & unco l m suspendenda venit intra exteriorē, ita ut intra hanc liberè possit ascendere ac descendere, & in illo suo sive ascensu sive descensu, mediante stilo g h, directior teneatur; ex quibus adeò interioris etiam hydriæ fabrica patebit, hoc uno adhuc, quod moneatur residuo, ut ex *Mori* præscripto eadem prope fundum imum quatuor exiguis foraminulis n, o, p, q, ita pertusa sit, ut illa deorsum versus fundum per hydriæ laminam obliquè, ab n verbi gratia ad d, excurrentia exitu suo in fundum c d præcisè terminentur. Restat operculum exterioris L, fundo I K, cuius medium parvo patet foramine L, in duas cavitates, tanquam septo transverso divisum, quarum ima exterioris hydriæ labia, si opus sit, amplectitur, summa verò adinstar crateris aquam desuper affusam & per foramen L in utramque hydriam demittendam excipit.

V. His igitur ita paratis omnibus (nisi quod foramen E F in fundo superiore exterioris hydriæ sub initium pisi magnitudinem non excederet) in exteriorē hydriam A B C D solitariam demisimus orbiculum ligneum, cuius diameter adæquabat 3. pollices & 4. lin. Rhinl. spissitudo verò lineas circiter octo, eoque detento per immissum bacillum affudimus aquam donec ad summum repleta esset hydria; quo facto epistomium M aperuimus, eoque aperto demum bacillum detinentem removimus, visuri nunc decantatum adeò Phænomen-